

Heinrich Rahn

Decanus Facultatis Iuridicae In Academia Rostochiensi Henricus Rahne/ I.U.D. & Prof. ... Ad Disputationem Inauguralem Dn. Joachimi Georgii Baleken/ Parchimensis Megapolitani, Ad diem VI Decembris publice ... habendam, Magnificum Dn. Rectorem, Dnn. Professores, ac caeteros omnium ordinum Cives Academicos officiose invitat

Rostochii: Kilius, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn76645181X>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.
Z 16.7

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

42.18



49
DECANUS

FACULTATIS JURIDICÆ

IN

Academia Rostochiensi

HENRICUS RASSE/

J. U. D. & Prof.

suo & totius Collegij Juridici nomine

Ad Disputationem Inauguralem

DN. JOACHIMI GEORGHII *Baleken*/

Parchimensis Megapolitani,

Ad diem VI Decembris publice,

Cum bono DEO,


habendam.

Magnificum DN. RECTOREM,

Dnn. Professores, ac cæteros omnium

ordinum Cives Academicos officiosè


invitat.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLIX,



L. B. S.



OMnia fiant decenter & legitime. Ambit legitime DN. JOACHIMUS GEORGIUS *Balefe* / Parchimo-Megapolitanus, summos in Utroque Jure, tam Canonico, quam Civili, honores & Doctoris titulum. Honestæ huic ambitioni locum non relinquare nec potuimus, nec debuimus. Interim prius exploranda & excutienda erat doctrina Candidati, quam dignitatis porta ipsi aperienda. Virtute enim & scientiâ ambire oportet, non favore nec precio, nec gratiâ. Moris autem est apud nos, bis facere periculum eruditionis in iis, qui honores Doctorales appetunt; privatim scilicet & publice. Privatum examen paucos ante dies est peractum feliciter: publicum habebitur, Deo volente, ad diem 6. appropinquantis mensis Decembris. Neq; dubitamus, quin Candidatus noster ibi cuivis vel exploranti vel auscultanti demonstraturus sit egregiam suam liberalium disciplinarum, ac artis in primis æqui boniq; notitiam: immò probaturus, se illum esse, quem proficitur. Utinam hoc omnes facerent, & rectius res mortalium procederent. Etenim

Tum rectè vives, si curas esse, quod audis.

Verum non est hujus loci, aut instituti, ea de re differere. Id, quod nostrum est, agamus. Dixit non saltem Dn. Candidatus periclitationi suæ publicæ, quam Disputationem Inauguralem vocamus, certum diem, sed etiam singularem materiam, quæ est de **HOMINIBUS PROPRIIS**; Quid? suntne homines proprij? *Nil*

Pares naturâ ortuvé sunt homines, estq; unus omnium, regum & pauperum, servorum & dominorum principium & interitus. Servitus autem contra naturam hominis, quia status ejus est, ut imperet. Dictum namq; hominibus generaliter: Replete terram, subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli & omnibus animantibus, quæ moventur super terram. Hinc fate-ri cogimur: hominem ad hominem, tanquam ad finem, ordinatum non fuisse à natura; præsertim cum constet, eam unice voluisse atq; egisse, ut omnes omninò homines nascerentur, viveret, & morerentur æquales. Facile hæc citra ullam demonstrationem assensum impetrant; adeoq; nulli fuerit bono probationes operose conquirere. Ipsa servitutis definitio, quam exhibent Jctus Florentinus & Imp. Justinianus, satis superque explicant libertatis naturam. *Servitus*, dicunt illi, *est constitutio juris Gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam subjicitur.* Ridiculum ergo foret hac in re Soli, quod est in proverbio, lucem fœnerari, & impendiis laborare supervacuis. Quamvis autem servitus sit contra naturalem libertatem, quamvis sit grave in servitute cadere, & secundum Comicum, omni malo, omni exitio pejus; tamen reperti sunt, qui vel odio sui, suæq; conditionis, vel contemptu libertatis acti ad pretium participandum venundari sese sint passi, atq; alterius dominio se mancipârunt. Indigni sanè libertate & restitutione, vel misericordiâ, eò quod scientes prudentesq; servitutis jugum subiverint. Hujus sortis olim erant Germani, qui ludo se in servitute spontè conijciebant.

aleam, inquit Tacitus, sobrii inter seria exercent tantà lucrandi perdendivè temeritate, ut cum omnia defecerant, extremo ac novissimo jactu de libertate & de corpore contendant. Victus voluntariam servitutem adit, quamvis junior, quamvis robustior, alligari se ac venire patitur; ea est in re prava pervicacia: ipsi fidem vocant. Servos conditionis hujus per commercia tradunt, ut se quoque pudore victorie exsolvant. Fuerunt etiam, quibus non voluntas, sed necessitas libertatem ademit, & permisit servitutem filiis inferre, ac tempore famis urgentis eos distrahere: eâ tamen conditione, ut restituto pretio emptori à patre vendente, vel aliis, possent ingenuitati restitui. Sic olim debitor inops adjudicabatur creditoribus ex L. XII. tabularum. Ob necessitatem malesuadæ famis Ægyptij dicebant ad Josephum: Eme nos in servitutem regiam, & præbe semina. Et de Gallorum antiquis moribus ita scribit Julius Cæsar: Plebs penè servorum habetur loco, qua nihil audet per se, nulli adhibetur consilio. Plerique cum aut are alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuriâ potentiorum premuntur, sese in servitutem dicant nobilium. In hos eadem omnia sunt jura, quæ dominis in servos. Præter hujusmodi serviles planè homines, erant & apud priscos alij, nec servi omninò, nec omninò ingenui, sed mediæ conditionis, participant quicquam cum dehorum, tum de illorum naturâ. Unde à quibusdam servi imperfecti, servi improprie dicti appellantur. Proprium enim & speciale nomen habebant Colonorum, atque erant duplicis generis. Alij dicebantur coloni Adscriptitij, seu adscripti, alij Originarij. Adscriptij erant, quos lex, ut loquuntur Imp. à majoribus constituta, quodam æternitatis jure detinebat, ita ut illis non liceret ex his locis, quorum fructu relevabantur, abscedere, nec ea deserere, quæ semel colenda susceperant: quippe sic adscripti erant agricolationi, & tam strictè additi

cti

Atiglebae, cum omni sua sobole, ut nec puncto quidem
 temporis deberent amoveri, ordine quidem ingenui, sed
 actu terrae, cui adscripti, servi. Et ita quodammodo servi
 eorum, quorum erat possessio. Ex horum numero esse
 possunt, quorum meminit Athenæus his verbis: *ii ex Bæoti*
qui Arneam coluerunt, qui non recesserunt in Bæotiam propter amorem regio-
nis, se ipsos Thessalis in servitutem dederunt ex stipulatione, ne se extra regio-
nem reciperent, neq; occiderent, ipsiq; regionem illis colentes tributa persolvunt.
 Ad eum modum quondam mendici perpetuo addiceban-
 tur colonatui ejus, qui illorum imposturam, fictitiam
 mendicitatem, & corporis simulatam ægritudinem dete-
 xisset. Originarij, seu originales, erant, qui ex adscriptitiis
 nascebantur, ejusdemq; existebant status ac patres, nomi-
 ne tantum distincti. Debebant siquidem & hi terrae inhæ-
 rere semper, quam patres eorum colendam susceperant.
 Et licet conditione viderentur ingenui, verba iterum sunt
 Impp. servi tamen terrae ipsius, cui nati erant, existimaban-
 tur: nec recedendi, quò vellent, aut permutandi loca, ha-
 bebant facultatem.

Verum enim verò etsi vetera servitutis jura apud Maio-
 res nostros sint sublata & abolita, ob fœdā illam crudelita-
 tem, quæ consistebat in potestate vitæ & necis, & vix man-
 cipia illa à brutis discernebat; tamen quædam adhuc servi-
 tus est in usu, immane quantum distans ab illa antiqua.
 Sunt coloni, & adscriptitii & originarii, cum primis in his re-
 gionibus Septentrionalibus, ubi durioris, quam in superio-
 ri Germania, conditionis plerunque esse consueverunt. Et
 enim servorū conditionē in eo quam proximè accedunt,
 quod, quicquid in bonis habent, id, solo sibi ad nutū domi-
 ni concesso usu, omne spectet ad dominum. Et propterea

A 3

vocau-


Vocantur homines manus mortuæ, id est, conditionis ser-
 vilis, seu conditionatæ servitutis: apud nos dicuntur Ho-
 mines proprii. Unde autem hoc hominum genus nostris in
 terris originem sumpserit, non est in aprico. Speculum Sve-
 vicum, quod non valdè fayet fundatori hominum propri-
 orum der Leibeigen / ita de iis differit / da man des ersten Recht sagt / da
 waren die Leute alle fry / da unser fordern her zu Land kahmen / do waren
 die Leut alle fry / wan in der alten Geschriefft finden wir nicht / das iemand
 des andern eigen wer also sy. Et post pauca: Nach rechter forcht / so
 hat sich Eigenschafft erhaben von zwangsel und von fangnuß / von meno-
 nigen unrechten gewalt / die die Herren von alter her in ein recht gewons-
 heit gezogen haben / und die Herren haben das fur recht. Nun ist in geo-
 stat / das wir in der heiligen Geschriefft nicht findē / das iemand des andern
 eigen sol seyn. Nun haben es die Herren mit gewonheit darzu bracht / das
 sie es mit recht haben wollen / das Recht weiß Gott wol / und die heilig Ges-
 schriefft / in der man das Recht nicht finden kan. Das ins 8^{te} vergeb / der
 es von erst ie gedachte / od in die gewonheit brachte. At his suo loco reli-
 ctis, properamus ad Historicos, quorum ea de re mentem
 explicat Mutius lib. 7. Chron. Germ. *Carolus M.* ait, *tertium*
suscepit bellum, quodnes difficilium, periculosius vè, aut etiam magis diuturnum
ullum exitit. Erat namque adversus Saxones, qui sunt Germani duri, & la-
boribus assueti, nec dum erant Christiani. Cum iis bellum triginta annis gessit.
& cruentum bellum. Sape victus discedere coactus est, sape victor composuit à
conditionibus pace discessit: sed à discessu nihil oblidibus datus, nihil promissus,
nihil iuramento, nihil literis moti desceverunt sape. Carolo diu inops consilii, quid
ageret cum hominibus barbaris, qui nullà ratione & viâ in officio retineri pot-
erant, tandem huic malo mederi volens, incolas educit ex sedibus suis, alios in e-
orum agrum missis, disperfitq; Saxones per Germaniam & Gallias: quosdam
in Latium ad colenda rura. Hæc q; ratione domuit, qui nullis armis, minis &
sedibus domari poterant. Et licet postmodum plurimi libertatem pri-
stinam consecuti sint, meritis, precibus, prece, vel pretio; attamen
aliqua ex parte remansit servitus. Reges siquidem Francorum ali-
is concesserunt non tam pro donato, quàm beneficiario titulo Fi-
calinos, h. e. Regis homines proprios re & corpore, des Königs geeige-
nete

nete Knechte / deren Leib und Gut Königlicher Kammer unterworfen
 In cuius testimonium unum referre exemplum sufficiat. Ludovicus
 Caroli M. filius Einhardo, Cancellario patris sui, contulit prædia
 Michlenstade cum servis regis propriis quatuordecim & uxoribus su-
 is ac filiis, & Mülenheim cum servis, uxoribus, & liberis tredecim.
 Interdum Ecclesiasticis & Monasteriis concessa sunt à Regibus &
 Ducibus pro animæ suæ remedio ejusmodi mancipia & ministri
 Dienst/ vnd eigne Leute. Et tum dicti fuerunt Klosterleute/ Klosterknechte
 te/ Gottes Hausleute. Hæc equidem ortum priorum ho-
 minum satis clarè exponunt, sed propiùs attingunt nostras
 hæc oras, quæ tradit Husanus, quando scribit: Historias
 docere, quod iis temporibus, quibus Saxones Obotritis &
 vicinis gentibus bellum moverunt, ut cogerent nolentes
 amplecti religionem Christianam, in devictos usi sint eo ju-
 re, quo victores antiquitùs solebant, scilicet, quod manci-
 piorum locò eos habuerint, quibus tamen eòdem, quo Sa-
 raceni subjugatis Hispanis modò, terras colendas relinque-
 rent, ne provincia in solitudinè redacta, ipsis victoribus in-
 fructuosa esset. Et ab eo, quod relictis fuerint in provinciis
 ad excolendum agrum, jus Saxon. *Sachsenspiegel* lib. 3. art. 44.
 vocat illos *Lassen*. Diese Lassen sind die /ait gl. *ibid.* lib. 2. ad art. 59.
 num. 4. Welche unsere Vorfahren auff gewisse vergleichung haben sitzen
 lassen/ do sie die Lande bezwungen haben. Verùm quicquid sit, non
 licet jam nobis hoc argumentum pluribus tractare. Con-
 scripsit, ut in antecessum diximus, noster Candidatus eru-
 ditam de PROPRIIS HOMINIBUS DISPUTATIO-
 NEM: Eamq; publico literatorum examini dicto die 6. in-
 stantis mensis exponet. Tiro in castris Justitiæ, Duce viro
 Clarissimo & Doctiss: Dn: M. JOACHIMO CUBABO &c.
 in hoc ipso, ad quem modo ascensurus est, loco, ante ali-
 quot

quot annos VIRTUTEM moralem, delicias suas, laudabiliter propugnavit. Paulò post adultior quasi factus miles ad MAJESTATEM transit, illamq; sub præsidio Viri Excellentissimi & Consul-tissimi DN. NICOLAI Schützen / J. U. D. celeberrimi, & Collegæ nostræ ætatem colendi, in cathedra hujus Academiæ tutatus est, & ita tutatus, ut laudem à certamine reportaverit Neq; hinc substitit, sicut defatigatus bellator, sed alia Germaniæ loca adiit, & Lipsiæ laborum seriem continuavit: cujus testimonium est disputa-tio de PRÆSCRIPTIONIBUS, quam ibi Præsede admodum Reve-rendo Amplissimo & Consultissimo Viro, Dn. GEORGIO TOBIA Schwendendörffers Phil. & J. U. D. Pand. P. P. & c. juxta ac Canoni-co Martisburgensi, & c. in Collegio Jctorum Petrino anno proxime elapso habuit. Nunc ut veteranus prodit pugnaturus pro obtinendis summis militiæ togatæ honoribus. Pugnet necesse est, antequam brabeum adipiscatur. Virtus & Themis prius labores ac certamina exigunt, quam decernant gloriam. Te igitur Magnifice Dn. Rector, Vos Cives Academicos, cujuscunq; estis ordinis, Vos Literatos & literatorum Fautores, eo quo par est obsequio, eâ, quâ decet, humanitate invitamus, & rogamus, ut actui huic & conflictui publico interesse, & vel pugnantem vestro favore confirma-re, vel amico colloquio exercere, ac explorare, vel deniq; benevolâ auscultatione juvare non dedignemini. Inite apud nos hanc gratiam. Conferte hoc beneficium in Dn. Candidatum. Tribuite hoc honorisejus Parenti viro juris rerumq; multarum perito, bono, docto, prudenti, & de civitate Parchimensi bene merito: cui quippe primum Senator, post Consul ac Syndicus per quadraginta annos fideliter inservivit, atq; adhuc, licet exactâ ætate, inservit, non ignarus, quod

Pro patria, magnum decus est perficere labores.

Satis est. P. P. Rostochi sub signo nostræ Facultatis die XXV. Novemb. Anno Christi clō Isc XLIX.





quando quis obscuro loco natus, fraudu-
 tatione, nobili alicui familiae se infere-
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-
 familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.
 1615. vagabundus quidam homo co-
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-
 cupans, & ex familia illustri Graecorum
 jactans, adjumeto intercessionu, quas
 te impetraverat, in plurimorum prin-
 s, & civitatibus ingentem pecuniae
 & emendicavit; cui postea, ob delicti
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-
 no 1629. Mens. Martio foeminae cui-
 , ex nobili familia se natam & bonis
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-
 poenam temporalis relegationis in-
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-
 assumpto nomine Advocati cujus-
 ejus publice jactaverat, quem postea
 iudiae Senatus virgis coedi, & exilio
 tinent & huc exempla relata a *Valer*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-
 nem suam mutat, & se pro alio suppo-
 ma apud Historicos aliosq; scripto-
 inter quae notissimum est illud Plau-
 pta forma Amphitruonis, adversus
 nocte quadam, velut e bello rever-
 concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4

